



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput LIX. Quod omnis spes & fiducia in solo Deo est figenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

sicut parvuli, non intrabitis in regnum  
cœlorum. Quicumque humiliaverit se,  
sicut parvulus iste: hic major est in  
regno cœlorum.

10. Væ eis, qui cum parvulis hu-  
miliare se sponte dedignantur: quo-  
niam humilis janua regni cœlestis  
eos non admittet intrare.

Væ etiam divitibus, qui habent hic  
consolationes suas: quia pauperibus  
intransantibus in regnum Dei, ipsi sta-  
bunt foris ejulantes

Gaudete humiles, & exultate pau-  
peres, quia vestrum est regnum Dei,  
si tamen in veritate ambulatis.

## CAPUT LIX.

Quod omnis spes & fiducia in solo  
Deo est figenda.

I. Domine, quæ est fiducia mea,  
quam in hac vita habeo? aut  
quod magis solatium meum, ex om-  
nibus apparentibus sub cœlo?

Nonne tu Domine Deus meus,  
cujus misericordiæ non est nume-  
rus? Ubi

Ubi mihi bene fuit sine te? Aut quando male esse potuit, præsentem te?

Malo pauper esse propter te, quam dives sine te.

Eligo potius tecum in terra peregrinari, quam sine te cælum possidere. Ubi tu, ibi cælum: atque ibi mors, & infernus, ubi tu non es.

Tu mihi in desiderio es: & ideo post te gemere, clamare, & exorare necesse est.

In nullo denique possum plene confidere, qui in necessitatibus auxilietur opportunius, nisi in te solo Deo meo.

Tu es spes mea, tu fiducia mea; tu consolator meus, & fidelissimus in omnibus.

2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt: tu salutem meam, & profectum meum solummodo prætendis, & omnia in bonum mihi convertis.

S 2

Et

Etiam si variis tentationibus & aduersitatibus exponas, hoc totum ad utilitatem meam mihi ordinas, qui mille modis dilectos tuos probare consuevisti.

In qua probatione non minus diligere debes & laudari, quam si celestibus consolationibus me repleeres.

3. In te ergo, Domine Deus, pone totam spem meam & refugium meum: in te omnem tribulationem & angustiam meam constituo; quia totum infirmum & instabile inuenio, quidquid extra te conspicio.

Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarii adiuuare poterunt, nec prudentes consilium responsum utile dare, neque libri Doctorum consolari, nec aliqua pretiosa substantia liberare, nec locus aliquis secretus, & amœnus contumari: si tu ipse non assistas, iures,

confor  
custodi

4. C  
vident  
dam,

que f  
runt.

Fini  
altitud

quioru  
nia spe  
vorum

Ad  
fido,  
Pater.

Ben  
Bened

tatio  
gloria  
dignit  
tuæ n

Sec  
tis tu

con-

confortes, consoles, instruas & custodias.

4. Omnia namque, quæ ad pacem videntur esse, & felicitatem habendam, te absente nihil sunt, nihilque felicitatis in veritate conferunt.

Finis ergo omnium bonorum, & altitudo vitæ, & profunditas eloquiorum tu es: & in te super omnia sperare, fortissimum solatium servorum Dei.

Ad te sunt oculi mei, in te confido, Deus meus, misericordiarum Pater.

Benedic & sanctifica animam meam Benedictione cœlesti, ut fiat habitatio tua sancta, & sedes æternæ gloriæ tuæ, nihilque in templo tuæ dignitatis inveniatur, quod oculos tuæ majestatis offendat.

Secundum magnitudinem bonitatis tuæ, & multitudinem miseratio-

num tuarum, respice in me, &  
exaudi orationem pauperis servi tui,  
longe exulantis in regione umbræ  
mortis.

Protege & conserva animam ser-  
vuli tui inter tot discrimina vitæ  
corruptibilis; ac comitante gratia  
tua, dirige per viam pacis, ad pa-  
triam perpetuæ claritatis. Amen.

*Finis Libri tertii.*

